Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36925
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Convivium regis Assweri

Ibi eris fortior sampsone sangar et abysay
David et [struck] banaym et sobothay semaa
Ibi erit pulcrior absolone Joseph et moyse
Judyth zvzanna rebecca sara et rachele
Ibi erit longevior enoch elya et matuzalem
Et velocior asahele et aisi hezaule et sole
Ibi erit sapiencior salomone et augustino
Gregorio Jeronimo ambrosio et thoma de aquino
Ibi clarius contemplaberis dominum quam petrus Johannes et Jacobus
Ezechiel moyses ysayas et stephanus
Effigiam huius eterne glorie gloriam salomonis esse potest
Cum nullus regum in tanta gloria vixisse
Nullius in terris tantis fruitus deliciis
Nullus regum tante habundasse diviciis
Regina saba audita eius fama ierusalem pervenit
Et visa eius in toto habitu gloria pre stupore dixit
Maior est gloria tua quam rumor quem audivi
Et plurimi quam media pars non est nunciata michi
Ita fatebitur anima cum ad celestem gloriam pervenit
Quod mea pars primo millesima sibi narrata non sit
Universa terra desiderabat videre faciem salomonis
Et hoc bene videtur prefigurasse faciem salvatoris
Omnis enim iocunditas et omne gaudium celi
Consistit in aspectu illius iocundissime faciei
Melius est animam in inferno esse et eam videre
Quam in celo et eius melliflua visione carere